



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

DISSERTATIO HISTORICA

De

DONATIONE  
CONSTANTINI

falsò creditâ

Quam

Assistente Divini Numinis gratiâ

P R Æ S I D E

SAMUELE ANDREÆ

In Illustri Herbornæo Historiarum

& Linguae Græcæ Professore Ordinario  
ac Pædagogarchâ

*Publica atque placide disquisitioni  
submittit*

JOH. HENRICUS ERNIUS Tigurinus.

*Ad diem 14. Julij horâ octavâ. In Auditorio majori.*

HERBORNÆ NASSOVIORUM. 1666.

30.



ADMODVM REVERENDO atque DOCTIS-  
SIMO VIRO,

Dn. JOHANNI MYLLERO, Cœtus, qui ad Divum Pe-  
trum Tiguri colligitur, Concionatori facundis-  
simo, gravissimo : ut & Historiæ Ecclesiasticæ in  
Collegio Carolino Professore in omni Antiqui-  
tate versatissimo.

*Nec non*

Speçtabili atque honoratissimo Viro,

Dn. JOSEPHO ORELLIO, Mercatori apud Tigurinos  
Speçtatissimo.

Fautoribus, Patronis, Præceptorii  
primitias hæc Historicas filiali  
observantiâ inscribit.

JOH. HENRICUS ERNIUS Resp.



DOCTISSIMVS atque PRÆSTANTISSIMVS  
DN. RESPONDENS

JOANNES HENRICUS ERNIUS

Ἀναγραμματιζόμενος

An inis? nunc Heros jure es.

**A** Nne iterùm certamen *inis?* vix pulpita calces  
Conscendêre tui prima, secunda petunt.

*Nunc Heros jure es*, unâ victoriâ Amice,

Non contentus abis, quæris adhuc aliam.

Det Deus ut labor est, ut bina fuêre pericla,

Sit quoque binus honor, gloria bina tibi.

Sic lusit

in amoris testimonium

Conterraneo suo

amicissimo

DAVID FRIDERICUS HILARIUS

Bernas.

DOCTISSIMVS

DN. RESPONDENS

JOHANNES HENRICUS ERNIUS


Annis dunc H. ros. jar. ca.

Non contentus abis, quare adhuc aliam  
Et tunc in labor est, neque tunc pericla  
Et tunc in labor est, neque tunc pericla  
Et tunc in labor est, neque tunc pericla

Sic loquitur  
in amoris testimonium  
Conterere suo  
amicum

DAVID FRIEDRICH ERNIUS  
Berol.





DISSERTATIO HISTORICA

de

DONATIONE CONSTANTINI

fallò creditâ.

Q Uamvis divina Servatoris vox Matth. XX. 25. Οἶδατε, ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι καταξεδιάζουσιν αὐτῶν. Οὐχ ἄτως δὲ ἔσαι ἐν ὑμῖν non solum Apostolis, sed & quibuscunque eorundem successoribus monarchiâ temporali & seculari dominatu disertè interdixerit, & juxta exemplum Domini, omnes voluerit humiles esse ac ὑπερηφανείας expertes; factum nihilominus fuit, ut, postquam Episcopi, quorum munus saltem erat ἐπισκοπεῖν seu inspicere ecclesias, & earum curam spiritualem, docendo, corripiendo, monendo, consolando, cum spiritu mansuetudinis agere, typho hujus seculi inflati terrena magis quàm cœlestia spirare cœperunt atque ambitioni litare, immane quantum ab his vestigiis fuerit discessum. Episcopi enim passim secularem dominatû prædecessoribus suis, Principum Christianorum liberalitate atque pio studio concessum & moderatè administratum veteratoriis artibus ita auxerunt, ut etiam illis ipsis, quorum pietati eum debebant, formidabiles evaderent.

II. Solus sit exemplo, ex tanto Episcoporum seclarium numero, is, qui se *servum* quidem *servorum* dicit, Episcopum tamen Episcoporum & Dominum Dominorum agit, Pontifex inquam Romanus, qui, progressu temporis, *patrimonium*, quod vocant, *Petri* ita auxit, ut sæpissimè, non solum vicinos principes bello laceffere, & gladio temporali æquè ac spiritali, excommunicationum fulminibus vibrato, in eisdem grassari ausus sit: sed & contra potentiores, Imperatores puta, Gallix Reges Christianissimos atque Republicanam Venetam insurgere haud veritus. Hoc enim nomine potissimû *Julius II.* & *Paulus V.* celebres dicam an famosi fuerunt, quorum ille

A



bellicâ gloriâ plus quàm Pontificem deceret clarus ( *Onuphrio* testante ) parùm probatus fuit, quòd armis magis quàm sacrosanctum pontificem deceret, deditus esse videretur: hic autem Martios spiritus satis ostendit, cùm Venetos iracundiæ suæ immolaret. Quo jure verò quâve injuriâ tot illi cesserint regiones & tantum in Italiâ dominium temporale acquisitum sit, fufius excutere arcti disquisitionis Academicæ cancelli haud patiuntur. Sufficiat igitur unicum tantæ molis cariosum fundamentum, quòd in eumentitâ quâdam *Constantini M. Donatione* aulae Romanæ Gnathonum nonnulli quaerunt, penitiùs introspicere.

III. Extat in Jure Canonico decantatum capitulum *Constantinus Dist. 96.* quod diploma quoddam exhibet satis vermiculatum & variis indiciis authorem recētiorem arguens ( uti pluribus deinceps patebit ) in quo narratur *Constantinum Imperatorem quartâ die sui baptismi privilegium Romanae Ecclesiae Pontifici contulisse*, quod ex *Gestis B. Sylvestri* distinctiùs enarratur. Nempe Imperatorem decrevisse *sacrosanctam Romanam Ecclesiam veneranter honorari & amplius quàm Imperiũ & terrenum thronum sedem sanctissimam B. Petri gloriose exaltari*: eidem etiam tribuisse *potestatem & gloria dignitatem atque vigorem & honorificentiam imperialem*; sanxisse præterea, ut Romana sedes principatum teneret tam super quatuor præcipuas sedes *Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam*, quàm etiam super omnes in orbe terrarum *Ecclesias Dei*; Insuper donasse ac tradidisse *B. Sylvestro & omnibus successoribus palatium Lateranense, Diadema seu coronam capitis sui cum phrygio i. e. mitrâ, nec non superhumerali, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum, chlamydem purpuream, tunicam coccineam & omnia imperialia indumenta, Romanam item urbem, omnes Italia seu occidentalium regionum provincias, loca & civitates*. Denique imperium & regni potestatem transtulisse Byzantium, ibique constituisse, quoniam *ubi principatus sacerdotum & Christiana religionis caput ab Imperatore caelesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem*. Hæc atque alia, ait prædictum capitulum, Imperiali Decreto sancita, ipsius *Constantini subscriptione roborata fuisse & ab ipso insuper super venerandum corpus beati Petri Principis Apostolorum posita, sub dato Romæ III, Kalend. Aprilis Domino nostro Flavio Constantino Augusto*



*sto quater & Gallicano V.C. Coff.* Summam hæc conficiunt fabulæ prædictæ, quamvis in capitulo citato & apud alios quoque plures circumstantiæ occurrant, quas enumerare supervacuum videtur.

IV. Si verò ad examen ea revocemus, levi negotio patebit, ficta hæc & supposititia esse, cùm vel ipsos prudentiores Pontificios eorū jam dudum puduerit. Nam in antecessum notari debet, hoc capitulum, de quo agimus, *Palea* titulum in Decreto Gratiani præferre, quo epitheto omnes illi canones indigitantur, qui suspectæ sunt authoritatis & exigui momenti, adeoque eo ipso indicari hoc diploma non melioris commatis esse. In Admonitione quidem Decreto Gratiani ex emendatione Gregorii Papæ XIII. præfixa ita de hoc nomine cavetur. Varias sc. esse doctorum hominum sententias. Multos censuisse, ea capita, in quibus res inanes ac leves continerentur, hoc nomine appellari. Alios, quasi τὰ παλαιὰ i. e. *antiqua* comprehenderent: alios etiam, quasi additiones essent, & vox *Palea* depravata foret ex πάλιν seu *rursum*. Iohānem Andrea verò, *Imolam, Alexandrum, Iasonem* aliosque putare quendam *Protopaleam*, quem *Iason* addat Cardinalem fuisse, collectioni Gratiani capita hæc adjunxisse. Concluditur autem additiones esse non eodem tempore factas, quarum quædam ab ipso met fortassè Gratiano adscriptæ. Falsam etiam esse illorum opinionem, qui eas contemnendas putant, vel exinde constare, quòd multæ apud vetustiores Gratiano collectores habeantur. Sed quicquid etiam sit de primâ hujus tituli origine, quoad hoc capitulum saltem *Platinæ* haud inviti subscribimus, in vitâ *Iohannis VII. censi*, *paleam* illud pontificii juris peritos appellare, *quod sine frumento sit, nihilque Constantinianæ elegantie ac dignitatis habeat*.

V. Quamvis enim *Gregorius XIII.* susceptâ Juris Canonici emendatione tam fertilem *paleam*, quæ multum grani Ecclesiæ attulerat, haud expurgarit vel expunxerit, sed potiùs, allatis nonnullis ex *Anselmo*, & *Gestis Sylvestri* confirmârit: *Aeneas* tamen *Sylvius* postea *Pius II.* itidem Pontifex M. jam pridem (referente *Felino*) dixerat, mirari se miseros Legistas disputare de valetudine ejus quod nunquam fuit. Nam *Gesta Sylvestri*, quibus potissimum nititur, haud tantæ sunt authoritatis, ut omnimodè inter ἀξιόπιστα sint referenda. Equidem *Gelasius in c. Sancta Dist. 15.* non rejicit ea tanquam apocrypha, frigidè

tamen, à multis ea legi, saltem profiteretur. *Actus* (inquit) *B. Sylvestri* Apostolica sedis Præsulis, licet ejus qui conscripsit nomē ignoremus, à multis tamen in urbe Romā Catholicis legi cognovimus & pro antiquo usu multa hōc imitantur ecclesiæ. In *Glossa ad c. Constantinus* ex procemio cujusdam codicis vetusti eadem *Gesta* primū Græcè ab Eusebio scripta dicuntur & ab alio postmodum translata. Quæ sanè haud credat, quisquis noverit, frequētissimum fuisse superioribus seculis auctoritatem fabulis, magni nominis præscriptione, mercari atque fidem, apud imperitos & credulos, iisdem conciliare.

VI. Non caruit tamen hæc causa defensoribus inter Pontificios, qui hanc (sic dictam) *Constantini donationem* magnā contentione asserere conati sunt. Tales nominatim *Augustinus Steuchus Eugubinus* qui hujus diplomatis partem Græcè edidit Lugduni 1547. & contra *Vallam* defendit; *Angelus Rocca* in *Bibliothecâ Vaticana* pag. 181. & seqq. qui pro eadem donatione pugnat & complures alios ejusdem patronos ibidem indicat; *Cuffetellus contra Plessæi Mysterium Iniquitatis* aliique citati à *Cel. Voetio* *Disp. Select. Tom. 2. pag. 871.* Quo etiam spectat, quod ipsi Papæ pro juribus suis hoc diploma allegarint, uti factum à *Nicolao c. Fundamenta* 17. tit. de *Electioe & electi potestate* in *Sexto* lib. 1. Non absque miraculo (inquit) factum esse concipitur, ut occasionaliter *Constantini Monarchæ* à Deo provisâ sed curat a baptismalibus fomentis infirmitas, quandam quasi adjiceret ipsi Ecclesiæ firmitatem: qui quarto die sui baptismatis, unâ cum omnibus satrapis & universo Senatu, optimatibus etiam & cuncto populo, in persona *B. Sylvestri* sibi Romanam concedendo urbem relinquens, ab eo & successoribus ejus, per pragmaticum constitutum disponendam esse (decernens in ipsâ urbe utriusque potestatis monarchiam Romanis Pontificibus) declararet. A *Leone* etiam IX in *Epistol. 1.* seu libello adversus *Michaëlem Patriarcham Constantinop.* & *Leonem Acridamum*, ubi ferè integrum diploma refert.

VII. Sed nec pauciores inter eosdem ficta hæc donatio, oppugnatores habuit, Theologos æquè ac *Jctos*, *Cusanum* Cardinalem, *Laurentium Vallam* peculiari declamatione, *Antoninum* Archiepiscopum Florentinum, *Volaterranum*, *Alciatum* aliosque, quos magno numero citat *Gerhardus* magni nominis inter suos Theologus in *Locis Commun. Loc. 26. de Ministerio Ecclesiast. n. 320.* Hinc *Bartolus Jctus* in præfat. ad *Digesta* n. 13. ad argumenta quæ pro eâ afferuntur responderet

det, quamvis, quòd Bononiæ doceret, n. 14. subjiciat: *Videte, nos sumus inter res Ecclesiæ & ideo dico quod illa donatio valuit.* Hinc Sigonius, quamvis ad instantiam Cardinalis *Sirleti* edictum Constantinianæ donationis in lib. 3. Hist. de imperio Occidentali retulisset, tamen fundamentum ejus lib. 4. subruit, excusatione utens, *se officii sui putasse, ut quid Eusebius & alii scripsissent minimè reticeret, quamvis ab Ecclesiæ Romane auctoritate dissentirent.* Leon. etiam *Coquæus* Eremita Augustinianus *Anti-Mornei* Tom. 1. pag. 147. eandem donationem in dubium vocat. *De donatione (ait) Urbis Romæ, factâ à Constantino Sylvestro Papæ, nostra parum refert; hoc enim præcipuè contra fidei adversarios ostendendum Pontificem Rom. esse Pastorem universalem Ecclesiæ.* Et paulo post. *Et in hoc laudandus est magis Constantinus & celebranda ejus religio, si contulerit in Rom. Pontificem temporale urbis dominium.* Acrius verò *Aventinus* Annal. Boj. lib. 2. p. 137. *Quæ de Sylvestro & donatione Constantini prædicantur ficta, falsa, inepta, pugnantiq; sunt: miror extare tam stolidos, qui credant, & tam impudentes, qui defendere audeant, præcipuè cum etiam Pius II. Pontif. M. vir harum rerum peritus, nugæ hujusmodi, ut commenta anilia fabulamq; inanem rideat.* Imò quanquam *Paulus Langius* dicat, *Omnes curiosos Canonistas magnum semper de hoc diplomate fecisse festum* in Chronico ad annum 1404: verum nihilominus quoque, *Capitulum illud in antiquis Decretis non haberi, uti jam olim testatus est dictus Antoninus Archiepiscopus part. 1. Hist. tit. 8. cap. 1. & Flacius Cent. 1. mend. Papist. p. 45. ubi de seipso scribit & coram Deo affirmat, quod quatuor melioris fidei exëplaria viderit, ex quibus adhuc quo penes se habeat manuscripta, quæ ob vetustatem glossâ careant, in quibus non extet.*

VIII. Attamen hoc diploma paulo accuratiùs excutiâmus, insistentes vestigiis *Gerhardi & Voetii* locis c. *Camerarii* Hor. subcis. Cent. 1. c. 61. *Molinei* de Monarchiâ temporali Pontif. Rom. c. 14. & aliorum, licet nonnulla quæ ab illis urgentur, infirmiora videantur. Tale 1. quòd eadem denotatio facta dicitur *Melchiadi* Papæ decessori *Sylvestri* *Causa* 12. q. 1. can. *fururam*. Nam glossa negat canone citato *Melchiadem* loqui, disertè scribens: *Falsus est titulus; quia Melchiodes fuit proximus ante sylvestrum & ejus tempore est Constantinus conversus. 96. dist. in illa Palea Constantinus. 2.* Quòd hic *Satrapæ* legantur, in *Notitiâ dignitatum Imperii Orientalis* haud occurrentes. Illa enim

vox, quamvis eâ tempestate Latinis haud adeo frequens fuisset, poterat tamen ex Græcismo tanquam peregrinæ adhiberi, ( uti etiam *banda & phrygium* ) cui ceu peregrinæ dignitatis nomen pridem usitata, cum non solum apud *Josephum & Plutarchum*, sed & apud antiquiores *Isocratem & Aristotelem* occurrat, origine licet Persica, si *Hesychio* fides scribenti : Σατράπαι, ἀρχηγοὶ, στρατηλάται. περσικὴ δὲ ἡ λέξις. Convenit sanè *דיאדרמן* Hebræorum, quod omnium eruditorum consensu Persicum est. Quod nobis *diadema* narrat ceu *coronam ex auro purissimo & gemmis pretiosis constantem*, cum diadema fuerit fascia sæpè purpurea albo distincta uti ex *Curtio* lib. 6. c. 6. colligitur & præterea l. c. multis exemplis doctissimus *Camerarius* probat. Licet enim facilè concessero, regum diademata & coronas, vel nunquam, vel rarò in solidum aureas fuisse, ne quidem illam *Ammonitarum Regis* 2. Sam. XII. 30. voce *הַרְשָׁם* pretium non pondus denotante: absurditate tamen caret, quod hoc diadema dicitur ex auro purissimo & gemmis pretiosis constitisse. Nam memorabile est in hanc rem, quod *Zonaras* Tom. 3. pag. 18. de *Juliano Apostatâ* narrat. Quum ab exercitu dictus esse *Augustus* atque diadema quæreretur, nonnullis ornamenta quædam muliebria petentibus, ut inde conficerent, atque *Juliano* id ceu mali omnis recusante, tandem *χρῦσεόν τις τῶν παξιαρχῶν ἐφόρει σρεπτόν, λίθους ἔχοντα χρυσοδέτες aureum tribunorum quidam attulit torquem lapides habentem auro ligatos* seu gemmis auro distinctis ornatum, eumque capiti illius accommodarunt. Hinc si quidem colligitur diademata non fuisse ejusdem generis, atque recentiora hæc non esse ad illa Persarum, tanquã normam, exigenda, id quod abundè docent picturæ trium Græciæ Imperatorum, *Theodori Lascaris, Michaëlis Comneni Paleologi & Andronici Senioris*, præfixæ *Nicéphori Gregoræ* Historiæ Romanæ, quæ certè diademata nobis representant à priscis illis admòdum diversa.

IX. Nihil tamen hinc decedit causæ, etiamsi minima hæc, cum Præ-tore, transmittamus, cum alia suppetant, quæ fucum evidentius ostendunt. Hujusmodi imprimis est fabulosus ille *Constantini baptismus* à *Sylvestro* administratus, qui ceu fundamentum fictæ donationi substernitur, quando audimus *quartâ die baptismi* hoc privilegium à *Constantino* concessum fuisse. Fabula prolixè à *Zonara & Cedreno* narratur.

7

narratur. Sed quoniam diversa scribunt, cum utroque separatim  
congrederemur. Primus itaque, nempe Zonaras, Annal. Tom. 3. sub  
init. de Constantino refert. Eum ex quo solus rerum potitus esset, Romæ  
vitam egisse, nondum quidem simulacrorum deserto cultu, Christianæ tamen  
religionis mysteria paulatim admittentem atque addiscentem. Cum verò  
corpore esset morbido, quod plurima producebat ἐξανθήματα & medicorum  
iudicio, curatione desperatâ, leproso similimus, responsum tulisse à Sacerdo-  
tibus Jovis Capitolini, valetudinem non aliter recuperaturum, εἰ μὴ ἐν παί-  
δων ὑπῆλων ἀμίζοντι ἐπιλέσαιτο αἷμα πῦρ quàm si, in puerorum infan-  
tium vaporante adhuc lavisset sanguine. Conquisitos tum undique in-  
fantes & lavacro huic cruento diem dictam. Quæ cum advenisset, matrum e-  
gulatu deterritum Constantinum & veluti ab ebrietate experrectum, reddi-  
tis liberis, pecuniâ etiam donatas dimisisse. His peractis in somnio ei adstitisse  
duos viros, se Petrum & Paulum Christi Apostolos profitentes, qui consilium  
dederint ut si corporis & animi sanitatem consequi vellet, Silvestrum Epi-  
scopum accersiret, qui eum luem corporis depulsurus esset & vitam interitus exper-  
tem communicaturus. Obtemperantem hisce Constantinum σὺν αἰδοῖ & cum  
reverentiâ quosdam misisse, qui Silvestrum advocarent. Presentem verò in-  
terrogasse, num Deos colerent, qui Petrus & Paulus vocarentur? atque rege-  
rente Silvestro, eos Dei sui famulos atque ministros esse, Imperatorem, narra-  
to somnio, ab eodem mysteriis Christianorum imbutum atque baptizatum,  
ἐκ τῆς παναγῆς κολυμβήθρας ex sanctissimo lavacro sanum & integrum  
ascendisse. Postea verò Christianis securitatem per pracones denunciasset, tem-  
pla eorum aperiri & nova condi, atque Christianismi liberam professionem o-  
mnibus permisisset. Hæc fabulosæ narrationis summa est.

X. Fabulosam dico, nec immeritò. Quis enim credat morbos  
Constantini & ἐξανθήματα narranti, ac non potius fidem adhibeat  
Eusebio, scriptori αὐτόπτη & majoris hæc in parte authoritatis, di-  
fertè asserenti lib. 4. de Vitâ Constant. cap. 53. omni tempore corpus  
eidem præclarè constitisse, sine morbo, sine dolore, nullâ conspur-  
catum labe, quovis juvenili corpore valentius? Quis credat Con-  
stantinū, postquā signū crucis eidem de die apparuisset cum hæc In-  
scriptione ἐν τέτρωνίκα In hoc vinces, (uti ex ore Imperatoris ipsius hæc  
visionem juramento confirmantis refert Euseb. idem de Vit. Const. l. i.  
c. 22.) postquam aliâ visione nocturnâ in fide in Christum confir-

natus fuisset. (quæ ibid. c. 23. habetur) necdum simulacrorum deseruisse cultum? Quis credat piissimum Imperatorem tantam fuisse passum mentis eclipsin, ut, solam secutus & ambiguum satis oraculi fidem, crudelissimo Infanticidio morbum familiarem levare voluerit? Quis credat denique baptizatum à Sylvestro Constantinum, qui *Eusebium* de Vit. Const. lib. 4. c. 62. *Socratem* l. 1. c. 26. *Theodoritum* l. 1. c. 31. *Sozom.* l. 2. c. 32. *Hieronymum* in Chronico, & antiquiores & melioris in hisce fidei audiverit, uno ore asserentes omnes, hunc augustissimum Imperatorem, qui baptismum, donec ad Jordanem veniret distulerat, sub finem demum vitæ, si non ab ipso Nicomediensi Episcopo *Eusebio*, qui *Arrianus* erat, saltem Nicomediæ tamen, ab aliquo Episcoporum, quos in castris secum habebat, & tum convocârat, baptizatum fuisse.

XI. Nec obstat, vel religio Principis, vel baptisterium hujus rei causâ Romæ à Constantino magnificentissimis operis extructum, quæ *Platina* in Vitâ *Marci* l. adducit, ut authores citatos falsitatis convincat. Nam, ad *Arrianum* dogma declinasse religiosissimum Principem, cujus auspiciis idem condemnatum fuerat, haud dixerò, licet *Hieronymus* affirmet. Neque indubitatum censeo baptizatum eundem ab *Eusebio Nicomediensi*, quoniam nec *Eusebius Casareensis*, nec *Socrates*, nec *Theodoritus*, nec *Sozomenus*, locis c. ministrum hujus baptismi nomine designant. Baptisterium etiam magnificentum Romæ, hunc in finem præcisè à Constantino extructum fuisse, unde quæso, nisi ex incertâ traditione, probabitur.

XII. Notum sanè, quàm superstitiosè recentiores Græculi (ex quorum numero *Zonaras*) multa, etiam minùs comperta & fabulosa narrent, uti abundè patet ex *Chronico Dorothei* Monembasię Episcopi, vulgari Græcorum linguâ Venetiis edito; qui quantopere fabulis addictus fuerit, sola indicium faciat de *Abimelecho*, filio (ut ait) *Jeremiæ* Prophetæ, perquàm ridicula narratio, quæ pag. 125 & seqq. extat. Ut adèò haud mirandum, si etiam *Zonaras* hîc aliquid humani passus sit, & nimiâ credulitate abreptus, aliorum somnia protulerit. Quin imò, si conjecturas sequi liceret, dicerem fortè, hanc fuisse hujus commenti, de leprâ Constantini & baptismo eandem secuto, occasionem, quorum illud etiam *Platina* l. c. (*Socratem* hâc

hâc in re authorem agnoscens ) explodit. Legerat quis Constantinū summopere desiderasse, ut aquis Jordanis ablueretur. Dum verò in causâ hujus propositi investigandâ laborat, opportunè succurrit, etiam *Naamanem* Syrum ( de quo 2. Reg. V. ) aquis Jordanis, sed ad pellendam lepram, usum fuisse. Inde suspicio, eodem fortè morbo laborasse *Constantinum*, quæ deinceps conjectura, uti plures aliæ, in assertionem abiit.

XIII. Verùm audiamus quoque *Cedrenum*, mutatis quibusdam circumstantiis, de hoc baptismo nugantem. *Constantinum* (ait pag. 223) anno Imperii septimo Româ potitum, nihil antiquius habuisse, quàm ut reliquias sanctorum sepeliret & exules revocaret. Urbem verò ingressum medicos convocasse, ut morbum depellerent. Consilium autem de balneo cruento Judæos quosdam dedisse. Quoad reliqua *Zonara* concinit, nisi quod dicat, *Silvestrum* absentem Romam exinde reversum, quâ ob ingravescentes persecutiones exulârat, & sic *Constantinum* instituisse atq; baptizasse. Εὐδὺς ἔν (pergit) ἀπὸ τῆς θείας κολυμβήδρας ἀνερχομένε τῆ Κωνσταντίνε, ἐξέπεσον ἀπὸ τῆ σώματ αὐτῆ ὡσεὶ λεπίδες, ἢ ἐκαθαρίσθη καὶ γέγονεν ὄλον ὑγιὲς ὡς παιδαεὶε μικρῆ. ( quæ ex Act: IX. 18. & 2. Reg. V. 14. desumpta ) Baptizato denique *Constantino*, addit, etiam *Crispum* filium & ingentem multitudinem baptizatam fuisse. Eaque omnia ita assertivè obtrudit, ut non vereatur secus sentientes & narrantes, sub finem vitæ demum baptizatum, mendacii arguere, hâc ratione adjectâ. Nihil obstitisse, cum & *Galerium* in Oriente debellaret, & denuo in Persiam proficisceretur, quò minus jam tum in Jordane baptizaretur, si eâ de causâ baptismum distulisset.

XIV. Sed responsio facilis. I. *Constantinus* nunquam cum *Galerio Maximino* in Oriente bellum gessit, multo minùs eum debellavit. Postquam se hujus custodiæ fugâ subtrahens ad patrem in Britanniam venisset, eodem paulò post mortuo, Imperator dictus, in debellandis gentibus vicinis occupatus fuit. A socero quidem *Maximiano Herculio* (cujus filiam *Faustam* uxorem habebat) persuasus, ad pellendum Italiâ *Galerium* se accingebat. Hic verò, ante *Maxentium* devictum, prout *Zosimus*, *Eusebius in Chronico* & alii narant, adeoque ante *Constantini* adventum, ἐπεὶ τραῦμα δυσίατον ἔν-

σκήσαν αὐτῷ (uti *Zosimus* loquitur) quia vulnus difficulter curabile eum invaserat, jam excefferat vivis, & exinde nullū cum Constantino gefit bellum. Quod enim *Eusebius lib. 9. c. 9.* Maximinum post Maxentii interitum parumper vixisse dicit, id de Maximino juniore Galerii è sorore nepote intelligendum est, quem *Cedrenus* malè filium Galerij vocat, cūm *Zosimus* expressè affirmet, dictum à Galerio Cæsarem Maximinum ἀδελφῆς ὄντα παῖδα Γαλλεείας qui filius fuerit sororis Galerii. Imperitè etiam eundem cum avunculo *Cedrenus* confundit, quando *Galerium Maximinum* refert bellum cum Constantino & Licinio gessisse atque à Constantino superatum fuisse. *Licinius* enim solus, Constantino jam ad Celtas regresso, Maximinum vel Maximianum, juniorem scilicet, non verò *Galerium Maximinum* devicit, uti *Zosimus* narrat.

XV. 2. Quousque contra Persas progressus sit non constat. Saltem vix ultra Bithyniam. Imò creditur in ipso hujus belli apparatu extinctus. Unde *Zosimus*: nullam hujus expeditionis mentionē facit: *Eutropius* verò expressè scribit. Παρασκευαζόμενος δὲ ἐπιπρατεῦσαι κατὰ Περσῶν τὴν Μεσοποταμίαν ἐνοχλῶντων, ἐν ἡ τριακοσῶ τῆς βασιλείας ἔτει, τῆς δὲ ἡλικίας ἑξήκοσῶ καὶ ἕκτω, κατὰ τὴν Βιθυνίαν ἐτελεύτησεν ἐν Νικομηδικῶ χερσίν; bellum scilicet adversum Persas molientem, Mesopotamiam populantes, anno Imperii trigesimo primo, ætatis verò 66, in Bithyniâ, nempe in villâ quâdam Nicomediæ, obiisse. Quî ergo poterat baptismum ex Jordane petere? 3. Imò studio baptismum in finem vitæ distulit, quò sacro hoc lavacro omnia ejus peccata simul abluerentur, nec de postea commissis sollicitus esset, si citiùs baptismum suscepisset. Quod propositum, licet parùm probetur, objectionem tamen *Cedreni* refellit, asserētis nihil causæ fuisse, quo minus antea in Oriëte degēs aquis Jordanis potuerit tingi. Nam (uti dictum) nunquam Constantinus in Oriente ad confinia usq; Judææ progressus est, ex quo Christianus; & si vel maximè fuisset, non tamen suscepisset baptismum, quoniam finem vitæ necdum instare putabat.

XVI. Patet autem ex hisce, nihil *Cedrenum* de baptismo Constantini narrare, quod assensum extorqueat. Nam nudam ejus auctoritatem haud tanti facimus, cūm ne quidem constet, quis qualif-



ve fuerit; quamvis *Xylander*, in præfatione, non malè colligat Sacerdotem aut etiam monachum fuisse, tum ex genere dicendi quo usus, tum ex disputationibus, de religione & cæremoniis, quas habet. Ad do luculentū monachatus elogiū, quod pag. 166. ex *Dionysio* ut ait *Apostolico* recenset, in quo ἡ τῶν μοναχῶν ἱερά διακρίσις vocatur ἡ τῶν τελευτών ἀπασῶν ὑψηλότερα τάξις seu *omnium perfectorum celsissimus ordo*. Cui eo ipso loco gravem expostulationem subjicit: Πῶς τοίνυν εἰσὶν οἱ τὴν μοναδικὴν πολιτείαν μετὰ τῶν ἄλλων τῆς ἀποστολικῆς ἐκκλησίας θεῶν παραδόσεων τε καὶ δεσμῶν ἐκονομάχοι διασεβῶς καὶ ἀνοήτως ἀποβαλλόμενοι καὶ διαπίυοντες ἀρπυακεῖς ἰσχυροὶ; καὶ κατὰ τὸν ἀσεβῆ καὶ θεοσυγῆ μυσαγωγὸν αὐτῶν Κοπρώνυμον, νέαν καὶ πρόσφατον ταύτην δογματίζοντες &c. quæ certè calamum arguunt hominis de suo ordine perquam solliciti.

XVII. An ergò Monacho credemus, & quidem fabulis addictissimo? Cujus sanè sufficiens argumentum est, quòd etiam Historiam sacram crassis figmentis conspurcare haud veritus sit, qualia ex plurimis sequentia. De *Setho*, cùm duodecennis esset, ablactato, quem postea angelus raptum cognitione futuræ posterorum impietatis, diluvii & adventus servatoris imbuerit. De Angelo *Vriele* præposito pœnitentiæ, & it. alio *Azaële* ἐκ τῶν ἐγγηγῶρων numero, qui varias artes docuerit. De *Abrahamo*, quòd primus altare frondibus palmarū & olearum cinxerit, cùm Gen. XXI. 33. saltem dicatur ἕωκε seu lucum plantasse. De *Edna* matre *Abrahami*. De quodam *Mastiphac* dæmoniorum principe. De bello post obitum *Isaaci* inter *Esavum* & *Jacobum* gesto, quorum hic, hortante *Judâ*, illum sagittâ transfixerit. De *Josepho* vendito χρυσῶν ὀκτώ seu aureis octo, quamvis scriptura ἡρᾶθ' ἑβ' ἰγ' viginti argenteos fuisse dicat. De *Gabriele* angelo, magistro *Mosis*, & de ipso *Mose*, quòd extra controversiam sit, eum 80. dies continuos jejunasse atque similia innumera, in quibus *Genesisin parvam*, *Enochi apocrypha* & ejusdem commatis alias quisquillas sequitur. Huic itaque fidem habeamus in re dubiâ? Hunc *Eusebio* & aliis antiquioribus præferamus?

XVIII. Quod verò quidam baptizatum à *Sylvestro* *Constantinū* & sub finem vitæ rebaptizatum volunt, ex quibus est *Florentius* *Monachus Wigornien.* in *Chron.* ad ann. 330 scribens; *Constantinus* extre-



novita sua tempore ab Eusebio Nicomediensi episcopo rebaptizatus, in Arrianum dogma declinat: similem fidem meretur. Nam Theodorus huc anabaptismum expressè negat, quando l. c. de Constantino: *Donum (ait) suscepit sacri baptismatis*. Id enim facere ad illud usque temporis distulerat, quia in Iordane fluvio se consecuturum speraverat. Unde Vir summus Ioach. Camerarius, in *Catalogo Caesarum*, de eodem Constantino verissimè: *Paucis (inquit) ante suam mortem diebus sacro baptis-  
te lotus fuit, mortuo jamdudum Sylvestro Romano Episcopo, ut non solum aliis  
multis certissimis argumentis, sed hoc quoque facto refellatur fama baptismatis  
Sylvestrini itemque rebaptisationis Arriane*. Quæ omnia abundè docent, cum hæc donatio quartâ die baptismi facta dicatur, qui nunquam contigit, eo ipso etiam eandem suspectam reddi, imò sublato hoc prætenso & suppositio fundamento penitè corruere, præsertim cum & alia accedant, quæ fraudem clarissimè demonstrant.

XIX. Etenim Constantinopolitanam inter quatuor sedes primarias numerari, id perridiculum. Anno septimo Constantini hæc donatio facta dicitur, quando Constantinopoleos nomen necdum in rerum naturâ erat. Siquidem urbs hæc postea demùm à Constantino exornata & spoliis totius Asiæ ditata atque dedicata fuit, anno Imperii 25. juxta Hieronymum in *Chronico*. Qui ergo potuit Constantinus sedem Romanam Constantinopolitanæ præferre, quæ ipsa nondum extabat? Nec minus Consulûm notatio imperitiam illius arguit, qui hoc diploma concinnavit, quòd dicatur scriptum *Coss. Constantino quarto & Gallicano Viris clarissimis*. Anno enim imperii septimo, quo baptismus (ut ajunt) & per consequens hæc donatio contigit, Constantinus tertium erat Consul & Collegam habebat *Licinium*. Quartus ejus Consulatus in annum regiminis nonum incidit, ubi idem *Licinius* collega, sicuti ex *Fastis Siculis & Capitolinis* patet. Imò, quod magis, nunquam ille *Gallicanum* collegam agnovit, quoties deinde consulatum gessit, sed vel eundem *Licinium*, vel filios suos, quos Cæsares dixerat, prout *Fastos* inspicienti liquet. Falsa erga temporis notatio denuo fallaciam evidentissimè detegit.

XX. Nihil tamen usque adeò impudens hoc mendacium omnibus deridendum propinat, quàm ipsum illud quod à Constantino donatum fertur. Roma fuit, Italia fuit, omnes occidentalium regionum

gionum provinciæ, loca & civitates fuerunt; quo sanè nihil absurdius dici vel cogitari posset. Occidentem amavit Constantinus, & in eopotissimam regiminis partem exegit. Ejus tamen imperium se vivo, uti volunt; in alium transtulit. Certè, si novissimis annis *pupillus* fuisset, uti eum, ob profusiones immodicas, vulgari proverbio nominatum scribitur in *Epitome Sexti Aurelij Victoris*; tamen incredibilis hæc liberalitas foret, urbem fortissimè liberatam & non absque singulari felicitate à tyrannide *Maxentij* vindicatam, alterius permittere potestati, unà cum tot provinciis, idque non in paucos annos sed in perpetuum. Magno equidem Constantinus affectu Episcopos persecutus est, quos nunc *fratres*, nunc *conservos* suos vocat. Egregium etiam ejus in *Paphnutio* confessore, civitatis cujusdam in superiore Thebaide Episcopo edidit specimen, quem adeò charum habuit, ut non solum sæpius eum ad aulam vocaret, sed & oculum ejus, erutum in persecutione Maximiani, exosculetur. *Ruffin.* l. 1. c. 4. *Socrat.* l. 2. c. 8. Nullibi tamen legitur illis urbes aut regiones donasse, vel temporale dominium in diocesisibus quibus præerant concessisse. Unde igitur hoc singulare prolubium?

XXI. De bonis Ecclesiasticis ita Provincialibus Palæstinæ scribit apud *Euseb. de Vita Const.* lib. 2. c. 39. ex versione *Portesii*. *Quod ad Ecclesiam pertinere constiterit, hortorum, domiciliorum, fundorum & aliarum facultatū integra republica & legibus ea edicimus condicenda.* Num itaque ullatenus credibile eum studio Republicam mutilare, & contra omnes leges, tam illustre membrum à reliquo corpore avellere voluisse? *Byzantium* quidem sedem imperii transtulit, eamq; urbem insigniter exornatam mutato nomine *Novam Romam* vocari voluit. Minimè tamen eam ob causam, quòd justum haud esset, Imperatorem terrenum Romæ imperium tenere. Nam eandem utique postmodum in potestate habuit & per præfectos urbis rexit. Sed potius quoniam, monumentum aliquod insigne relinquere cogitans, uti gloriæ avidissimus erat, situ hujus urbis imprimis delectabatur eamque dignam judicabat, in quâ exornandâ operam impenderet.

XXII. Imperium utique inter filios dividens Constantinus, Constantino cognomini & Constanti Occidentem assignavit, in quo certè Roma & Italia. Nam etiam *Zonaras*, recensens quomodo Impe-

rium inter filios Constantini vel ab ipsomet, vel eo defuncto, ex ipsorum consensu, divisum sit, expressè scribit τῷ μὲν Κώνσταντι προσκληρωθῆναι τὴν ἰταλίαν καὶ τὴν ῥώμην αὐτὴν, Constanti inter alia sorte obvenisse *Italiam & Romam ipsam*. Accedit, quòd Imperatores per tria secula post Constantini tempora Italiam totam per Duces, Exarchos & Præfectos urbis tenuerint, & quòd Pontifices Romani, Reges Longobardorum ac postea Francorum *Pipinum & Carolum M.* ceu dominos agnoverint. Quæ omnia satis evincunt, à Pontificibus Romanis, seculis compluribus post Constantini tempora, hanc potestatem haud usurpatam adeoq; nec ab eodem concessam fuisse. Si enim tanta illius munificentia fuisset, quæ *Pipinus* Francorum Rex primus benefactor agnosceretur in tabulâ quâdam marmoreâ, quæ Ravennæ extat, & hæc verba exhibet: *Pipinus pius primus amplificandæ ecclesie viam aperuit* referente *Bodino de Republ. l. 1. c. 9?* Hujus certè & successorum, *Mathildis* Comitissæ & aliorum liberalitati, Pontifices amplitudinem domini sui in Italiâ debent. Huc refer pactum, quod in Decreto Dist. 63. c. *Ego Ludovicus* habetur, quo Papæ *Paschali* & ejus successoribus à *Ludovico* Rege in perpetuum confirmatur possessio Romanæ civitatis, cum ducatu suo & suburbanis atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis & maritimis litoribus & portibus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac villis in Thuscizæ partibus.

XXIII. Nullum ergo videtur superesse dubium, quin fabulis annumeranda sint, quæ de hâc ementitâ Constantini donatione à minùs peritis, fervidioribus tamen Papismi defensoribus narrantur. At non æquè certum, quo tempore primùm & unde in vulgus hæc emanarint. *Aventinus* fabulam hanc sub *Henrico IV. Imp.* excogitatam fuisse censet. Nam *Annal. Boj. lib. 5. p. 447.* impotentem Gregorii Papæ VII. dominatum describens; *Tum* (inquit) *illa quæ de Sylvestro & Constantino vulgò inculcantur, & alia pleraque, quæ ob modestiam Christianam referre pudet, non minùs imperitè quàm impudenter mendaciterq; conficta sunt.* *Ottho Frisingensis* verò lib. 4. *Annal.* testatur, fuisse qui Gratiani tempore donationem hanc fictam esse asseverarent. Sed in diplomate *donationis Otthonis III.* quod inter Paparum archiva, assertatum *Assisi*, ostentatur, & à *Baronio* *Annalibus* anno 1191. insertum est,

est, uti apertè hæc Donatio Constantini rejicitur, sic ejus fabrica Iohanni Diacono, cognomento *Digitorum* insignito, attribuitur, uti etiã fit à Baronio ad ann. 324. & 1191. ad stipulãte Bodino lic. ubi refert, se ex Actis Vaticanis hausisse & expressisse Iohannem cognomento *Digitorum*, Constantini Magni largitionem, quæ dicitur, aureis literis scripsisse; in cuius extremo hæc verba subjiciantur: *Quam fabulam longi temporis mendacia finxit.*

XXIV. De hoc Iohanne Diacono seu *Sedigito* consulendus est *Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ex quo fortè colligere licebit, num idem sit cum illo, quem postea Papam factum & Iohannem IX. vocatum fuisse *Platina* testatur. Facetum est, quod ex *Sebast. Monticulo* Jcto Patavino *Philip. Camerarius* narrat l. c. thesi 8. Hieronymum Donatum Venetorum Legatum, Alexandro VI. Pontifici jocosè interroganti unde Venetis dominium maris Adriatici esset, ex improvise respondisse: *Ostendat mihi vestra sanctitas instrumentum patrimonij S. Petri & à tergo scriptam inveniet concessionem factam Venetis maris Adriatici.* Non magis acutè quam verè, quo etiam responso hanc Dissertationem finimus.

### Appendix.

**B**alsamon in Photii Nomocanonem Tit. VIII. Cap. I. scholiis suis Diploma hujus fictæ Donationis Græcè inseruit, quod verbotim ferè concinit illis quæ th. 3. ex c. *Constantinus* relata fuerunt. Sic inter alia δεσπίζομεν (inquit) σέβειν καὶ πρᾶξαι τὴν ἁγίαν τῶν Ρωμαίων ἐκκλησίαν, καὶ πλεον παρά τὴν βασιλείαν ἡμῶν καὶ τὸν γήϊνον θρόνον ἁγίαν καθεδρὰν τῆς ἁγίας πέτρας δοξάζειν καὶ ὑψῆσαι, διδόντες αὐτῇ δύναμιν καὶ δόξης ἀξίωμα, καὶ διακρίνοντες δεσπίζομεν ἵνα ἐξουσίαν ἔχη ἀρχιεπίσκοπον καὶ εἶναι ταύτην κεφαλὴν τῶν τεσσάρων θρόνων ἢ τοι τῆς θρόνου τῆς Ἀλεξανδρείας, τῆς Ἀντιοχείας, τῶν Ἱεροσολύμων, καὶ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἀπλῶς εἰς ὅλας τὰς ἐκκλησίας ἀπάσης τῆς οἰκουμένης. Ipsam verò donationem hæc verba exhibent. Ἰδὲ (ait) τὸ παλάτιον ἡμῶν, ὡς προείπομεν, καὶ τὴν Ρωμαίων πόλιν καὶ ταύτης τῆς Ἰταλίας ἢ Δυσμῶν χωρῶν

ἐπαρχίας τίπυς κὲ κέρτα τῶ παρμεγαμύρω μακαριώτατο ἐπισκόπω ἡμῶν καὶ  
 πατρὶ Σιλβέρω κρητολικῶ πάπα ᾠρθοδόξω κὲ ἀφίκαμω αὐτῶ κὲ τοῖς Διδά-  
 χου αὐτῶ ἐξουσίαν καὶ δυνάμιν σερεάν βασιλικῆ παρτάγματῶ Διδ. ταῦτῶ τῶ  
 θεία κέλευσιν κὲ παρμαμύρον σύσημα ἐθεασίσαμω Διδ. μύειν κὲ τοῖς ἀνδρῶσι τῆς  
 ἀγίας τῶν Ρώμαίων ἐκκλησίας εἰς τὸν αἰῶνα παρμεχωρήσαμω. *Conclusio autem,*  
*omissâ illâ recentioris ævi interminationis formulâ; si quis autem,*  
*quod non credimus, in hoc temerator aut contemptor extiterit, æternis con-*  
*demnationibus subjaceat innodatus, & sanctos Dei, Principes Apostolorum Pe-*  
*trum & Paulū sibi in præsentī & in futuri vitæ sentiat contrarios atq; in in-*  
*ferno inferiori concrematus cū Diabolo & omnibus deficiat impiis: ita habet.*  
 Τῆτο ἡ τὸ ὑφῶ τῆς βασιλείας ἡμῶν ἰδίαις χερσὶ καὶ σεράσαντες εἰς τὸ πῆμα λεί-  
 ψανα τοῦ ἀγίου ἀποστόλου κὲ κρητοφαίου Πέτρου ἐθήκαμω κὲ ἐκείνῶ ἀμύσαμω ταῦτα πάν-  
 τα ἀπαράφραστα Διδ. φυλάττειν, κὲ τῆς Διδ. δόχου ἡμῶν ταῦτα φυλάττειν ᾠρθο-  
 δόξωμω τῶ πατρὶ ἡμῶν τῶ ἀγίῳ καὶ κρητολικῶ ἐπισκόπω καὶ πάπα, κὲ δι αὐτῶ  
 πᾶσι τοῖς Διδ. δόχοις αὐτῶ ἐπισκόποις ἔκρητῶ ἡμῶν κὲ σωτῆρῶ Ἰησοῦ χριστοῦ παρ-  
 νούτῶ ᾠρθοδόξωμω ὅλα τὰ παρμεγαμύρω καλῶς εἰς τὸν αἰῶνα Διδ. φυλάτ-  
 τεταί. *Ubi nulla temporis & Consulū notatio apparet, quæ, uti*  
*dictum, falsa & ab homine imperito adjecta.*

## FINIS.

## COROLLARIA Respondentis.

- I. Inventio Typographiæ Harlema debetur.
- II. Carolus M. natione fuit Germanus.
- III. Petrus Romæ nunquam fuit.
- IV. Reformatio Zvinglii præcessit Reformationem Lutheri.
- V. Rationes *Serarii* quibus, in Commentariis suis de rebus Mo-  
guntinis, probare conatur *Turrim murium* (vulgò *Meuse-  
shurn*) aliunde quam communis fama est nomen accepisse,  
haud contemnendæ videntur.
- VI. Gregorius VII. injustè excommunicavit Henricum IV. Im-  
peratorem, atque misso diademate Rodolphum Anti-Cæ-  
sarem confirmavit.
- VII. Johanni Hus in Concilio Constantiensi haud servata fides  
ab Imperatore data, quæ etiam hæretico servanda fuisset.

Kd 2246

ULB Halle  
002 800 578

3



5b.

M. S. VD 17







